

sine corpore. His etiam accedit, quod nobilior, ac diuinior conditio immobilitatis existimatur, quam mutationis & instabilitatis, quae terrae magis ob hoc quam mundo conueniat. Addo etiam, quod satis absurdum uideretur, continenti siue locanti motum adscribi, & non potius contento & locato, quod est terra. Cum denique manifestum sit errantia sydera propinquiora fieri terrae ac remotiora, erit tum etiam qui circa medium, quod uolunt esse centrum terrae, a medio quoque ad ipsum, unius corporis motus. Oportet igitur motum, qui circa medium est, generalius accipere, ac satis esse, dum unusquisque motus sui ipsius medio incumbat. Vides ergo quod ex his omnibus probabilior sit mobilitas terrae, quam eius quies, praesertim in cotidiana reuoluzione, tanquam terrae maxime propria.

An terrae plures possint attribui motus, & de centro mundi, Cap. ix.

**C**um igitur nihil prohibeat mobilitatem terrae, uidendum nunc arbitror, an etiam plures illi motus coueniant, ut possit una errantium syderum existimari. Quod enim omnium revolutionum centrum non sit, motus errantium inaequalis apparens, & uariabiles eorum a terra distantiae declarant, quae in homocentro terrae circulo non possunt intelligi. Pluribus ergo existentibus centris, de centro quoque mundi non temere quis dubitabit, an uidelicet fuerit istud grauitatis terrenae, an aliud. Evidem existimo, grauitatem non aliud esse, quam appetentiam quandam naturalem partibus indentam a diuina prouidentia opificis uniuersorum, ut in unitate integratemque suam se se conferant in formam globi coeuntes. Quam affectionem credibile est etiam Soli, Lunae, ceterisque errantium fulgoribus inesse, ut eius efficacia in ea qua se representant rotunditate permaneant, quae nihilominus multis modis suos efficiunt circuitus. Si igitur & terra faciat alios, ut puta secundum centrum, necesse erit eos esse qui similiter extrinsecus in multis apparent, in quibus inuenimus annum circuitum. Quoniam si permutatus fuerit a solari in terrestrem, Soli immobilitate concessa,

b ij

cessa,